



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 32. Epistola nuncupatoria a Facultate Parisiensi notata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII. Infausto magis fato vitam, quam
 A. C. 1628. ætatis floridæ ardor longævam police-
 batur, juvenili intemperie nimis ma-
 ture finierat Rudolphus Christianus
 Frisiæ Orientalis Comes; cum enim
 Galassi Cæsarei Tribuni signifer duos
 Nobiles singulari certamine implicitos
 compescere jussus, per confluentem tur-
 mam penetrare vellet, atque evaginato
 ense fors Comitum Ministrum perco-
 teret; eo viso mox Comes indignatio-
 ne abreptus, stricto ense signiferum tam
 presse insequabatur, ut hic nullo dato
 fugæ loco, vitam repressa vi tueri co-
 actus gladium suum in sinistrum Co-
 mitis oculum impingeret: quo vel-
 nere Comes in medio juventutis flore
 altera mox die decessit, relicto ditio-
 num suarum Successore Udalrico e-
 jus Fratre.

§ XXXII.

*Epistola nuncupatoria a Facultate
 Parisiensi notata.*

*Argentre
 Coll. Jud.
 t. 2. p. 279.*

Hoc anno Petrus Potel Theologiae
 Magister Theses quasdam propo-
 gnare jussus, ut disputationem suam
 magis augustam redderet, easdem
 Petro Berullio Cardinali magni nomi-
 nis, auctoritatisque. Viro nuncupatio-
 præfixa hac ad easdem epistola.

Illustrissimo Petro Cardinali Berullæo, Sæc. XVII.
Oratorii D. N. J. C. Præposito Generali A. C. 1628.

Petrus Potel salutem plurimam dicit.

Si scholis excelsæ Sanctitatis tuæ De-
votus tibi primum expendere ingenii pri-
mitias, peccare sit (Illustrissime Berullæe)
propter nomen tuum propitiare peccato Ju-
ventutis meæ: ut enim scriptum est: Tu
es Petrus; cui remiseris peccatum, remit-
tetur ei. Verum quis arguit me de pec-
cato? a Domino factum est illud: quærens
enim virum, qui me sub umbra alarum
suarum protegeret, audivi vocem de caelo
dicentem mihi: Ecce Vir, Oriens nomen
ejus, Orientem quæsi vi & hunc cognovi,
quoniam tu hic eras, quem inveni (ascendebat
enim elevata nuper magnificentia tua super
terram) ideo ad te confugi, & me susce-
pit dextera tua: jam tuus sum ego, &
non alius, & si adolescentulus sim, & con-
temptus, an Vir sicut tu? Berullum hæc
ætas non viderat ullum: inter natos homi-
num non surrexit æqualis in natura, inter
filios adoptionis Christi non surrexit secun-
das in gratia: Tuum esse, an Gloria sicut
hæc? Unica est, & unius: mei non alte-
rius Phœnix es tu, & citra condignum:
Phœnix & ego sed ultra: ceciderunt mihi
funes in præclaris, quoniam in manibus
tuis sortes meæ, ideo speravi in te, quia
cognovi nomen tuum, quoniam singulariter
in spe constituit me, qui dedit mihi intelle-

Sæc. XVII. A. C. 1628. *Etum; ascende igitur, & ingredi in Domum matris meæ, & in Aulam genitricis meæ, castra sunt hæc, sed sacra, instat tibi certamen, & examen futurum mihi cum plurimis, ludi sunt, & joci (inquiunt) sed mihi crede suspecti, timendique: adfuit itaque ut certamen spectes, deficientem subleves, vincentem coronas, non satiabor enim, donec apparuerit mihi Gloria mea.*

Postquam vero Facultati hujus epistolæ tenor innotuerat, mox die vigesima octava Februarii Frogerus Syndicus eam ut impiam & blasphemam damnari petiit: pronuntiata igitur sententia Potelus eandem damnare, atque in publicis Sorbonæ comitiis retractare iussus est.

§. XXXIII.

Variae ejusdem Facultatis Parisiensis decisiones, ac Judicia.

*Argentre
l. c. p. 276.*

Cum anno præterito Universitatis Rector in actibus Theologicis prior ipso Nuntio Apostolico nominari contemderit, Rex id ægerrime ferens, die vigesima septima Martii Regii Sigilli Custodi negotium dedit, ut Fillefacum Universitatis Decanum adesse juberet, eidemque Ludovici Franciæ Regis nomine coram ejusdem Universitatis Rectore significaret, Regem velle ac jubere,